



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Status hominis in justitia originali existentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CAPVT XI.

Aliunde relictorum Deo maiorem curam esse, etiam noui Testamenti exemplis, hoc est, ex Incarnationis, Passionis, & missionis S. Spiritus mysterio ostenditur.

I.



Yrus potentissimus, & quondam nobilissimus Persarum rex, præstans ingenio atque imperij gloria, cum Persæ, vt refert Plutarchus, cuperent, pro suâ montanâ & asperâ, planam & mollem regionem occupare, non permisit, quòd diceret: *Ut plantarum semina, sic hominum vitas regionibus similes fieri.* Ita mihi videtur etiam diuina sapientia iudicasse: iudicauit enim præstare, vt non omnia sint in mundo plana; & aded censuit, meliùs esse de malis bona elicere, quàm mala, in Mundo, non permittere. Inter summa autem mala est peccatum, fons & radix omnis mali. Ante Mundi creationem, homo, æternùm retro, nihil erat. Ex eo nihilo, velut è tenebris in lucem, ita in suam naturam & vitam productus est, forma, specie, proprietatibus, & omnibus ornamentis naturalibus dotatus. Inter quas dotes, cum & ratio esset atque intellectus, quibus ad similitudinem & imaginem Dei accessit, statuit eum diuina bonitas sibi etiam similiorem reddere, & ad statum supernaturalem extollere. Quare naturæ illius gratiam, velut auro gemmam, superaddidit, vt eum ad altiorem ordinem, statumque diuinum eleuaret; in quo, naturalibus donis instructo etiam bona diuina communicarentur. Itaque, præter infusam naturalium rerum cognitionem, etiam fide illum diuina ornauit, qua Deum, tanquam finem quoque supernaturalem supremamque beatitudinem suam obiectiuam, cognosceret: spe eum instruxit, vt ex Elysijs illis campis, & amabili, sed terreno Paradiso, ad maiora cœlestiaque gaudia, meliore flamma incensus anhelaret: charitate diuinâ inflammavit, vt cor illius, siderei ignis vi, sursum ferretur: iustitia originali decorauit, vt omnes illicitos motus haberet in potestate; denique, ne vllum decus deesset, nulla illi virtus defuit. His tantis auxilijs firmatus æternam vitam, planissima via, erat aditurus, si voluisset.

II.

Quia verò nihil coactum est gloriosum, libertas arbitrij est illi relicta. In æquilibrio positus, quò libuit, potuit se se sponte incli-